



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

24 Irene Constantinum Imperatorem filium, oculis, & vita privavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Et, ut hac nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus, atque promissio, à nobis eisdem Romanis Pontificibus, & Ecclesia in perpetuum observentur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorumque sigillorum munimine roboratum. Actum & datum anno Domini 1270. Indictione septima, regnante Dom. nostro prædicto Domino R. Romanorum Rege glorioso, Regni ejus anno sexto. Et cum Ecclesia Romana opprimeretur ab Astulpho Rege Longobardorum, Papa petiit auxilium à Constantino, & Leone ejus filio Imperatoribus Constantinopolitanis, qui cum recusassent Ecclesiæ Romanæ auxilium præbere, Stephanus Papa II. Romanus de anno Domini 776. Imperium Romanum in personam Caroli Magni filii Pipini, auxili-
 23 lum præbenti, † à Græcis transtulit in Germanos, cap. venerabilem, §. verum; & ibi gloss. prima in ver. transtulit, de elect. & etiam Abb. num. 1, quæ dicit singularem, & receptam, Navarr. relect. cap. novit, not. 3, num. 3, tom. 2, de jud. licet similis, quæ tamen discordat in tempore habeatur in Clement. Rom. in ver. transtulit, de jurejurando. Hancque superioritatem, & potestatem Imper. & Reges ex causa deponendi habere idem probat idem Cardin. Bellarm. in tract. de pont. cap. 12, num. 4, & in dicta Apologia, cap. 6, iam verò. Carolus autem fuit postea à Leone Papa IV.
 24 † in Basilica sancti Petri de anno 801. coronatus, ut tradit Platina in vita ejusdem Leonis IV. cap. 97, & facit dicta gloss. in cap. venerabilem, & etiam dict. glo. in cap. si Imperator, in ver. divinitus. Sed decipiuntur glossatores, & Navarr. supracitat. in eandemque errorem, quòd Stephanus Papa Secundus imperium à Græcis ad

Germanos transtulerit, incidit Cel. Manc. in tract. de jure Principat. lib. 3, cap. 3, dum tenent, quòd de anno 776. dictus Stephanus Papa Secundus transtulerit imperium à Græcis ad Germanos, quia eodem anno Leo IV. filius Constantini V. Imperatoris post annos 35. Imperii paterni imperium regere cœpit; in cujus regimine annis quinque & diebus sex vixit, ut post Theopha, testatur Baron. tom. 9, Annal. Eccles. 780, in princ. & de anno ab eadem Nativitate 781, decessit, eidemque Constantinus filius impubes ætatis annorum decem successit, qui sexto Idus Septembris unà cum Irene matre piissima Imperium accepit, ut per Baron. loco proxime citato. Constantino interim ætate legitima completa, Imperium ab administratione materna in se suscepit: & quia nihilò melior fuit Constantino V. avo, & Leone III. proavo, Jesu Christi Salvatoris nostri, S. R. E. Sanctorum, & eorum reliquiarum, ac Imaginum contemptoribus, inimicis, & hostibus, ut per Cassan. in Cath. glo. mundi parte duodecima consideratione decima septima, §. & primo, ver. Leo Tertius, ab eodem omnium pessimo, ut legitur apud Tarcagnot. de Hist. mundi, lib. 9, par. 2, qui quampluribus suis nefandis sceleribus, & delictis causantibus, erat à Papa deponendus, argumen. tex. in capit. ad Apost. ubi etiam gloss. in ver. privatus, & de senten. & re judic. in 6. à matre Irene
 25 † Religionis causa, & amore justitiæ paratis insidiis, orbatus oculis, ac simul vita privatus fuit, ut per eundem Baron. eodem tom. 9, anno 697, §. hoc si quidem, & Genebrat Chron. anna. 798, lib. 4. Unde rursus Imperium in matrem Irenem fuit devolutum, ut per Baron. annal. 797, in princ.